

mansuetus

studeat. Nam sicut quisque renuntiet omnibus que
possidet ut suis non renuntiet moribus non est xpi discipulus.
Qui enim suis rebus renuntiat sua abnegat qui autem mo
ribus prauis semetipsum scilicet abnegat. Unde et dns.
Qui uult post me inquit uenire abneget semetipsum.

Qui non rigida in Decepore monachorum ac
tentione monachi professionem sectantur quan
to superni amoris propositum dissolute appetunt tan
to proclivius ad mundi amorem denuo reducuntur.
Nam professio non perfecta presentis uite repetit desideria. In
quibus et si nondum se alliget monachus opere iam tamen
alligat cogitationis amore. Longe quippe adhuc est
animus cui hac adhuc uita dulcis est. Iste enim quod de su
pernis appetat quod de infimis fugiat nescit. Nam sicut
scriptum est: qui apponit scientiam apponit dolorem.
Quanto quisque enim potuerit scire superna que appetat
tanto acrius de infimis quibus inheret dolore debet.
Propter hoc enim et iacobus apostolus dixit. Miseri estote lugete
et plorate risus uester in luctum conuertatur et gaudium in
merorem. Hinc etiam dns ait. Beati qui lugent quoniam ip
si consolabuntur. Et rursus. Ve uobis qui ridetis quia fle
bitis. Qui ad hoc conuersationem sanctitatis appetit ut
aliis quandoque prestet desiderat iste non discipulus xpi.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BSB Bayerische StaatsBibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bayerische Staatsbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bsb_clm6306/0202